




1672.

1. Bebelius, Balthasar: De his. mortuis
2. Boeclerus, Jo. Henr: Rudolphus Imperator, Germaniae
instaurator.
3. Deyingh, Iohannes Philippus, 9: De protopraxie
4. Feischel, Esajis: De beneficio probandi secundae
instantiae, cujus formula nondum de iuncta de de-
cam, nondum probata probabo.
5. Haslmann, Christianus: Constitutio juris feudalis,
qua vasallus prohibetur de bonis feudatibus in
testamento disponere.
6. Imtin, Iohann Daniel: De salario Tutorum
7. Rehner, Iohannes: De iure legationis
8. Rosenhand, Daniel Nicolaus: De iure haereditatis per
territoria 2 Sumpl. 2 Sumpl.
9. Salzman, Iohannes: Analysis articuli C.X Constitut.
Crim. Const. I et statum imperii


1672.

10. Schmalzius, Johannes Gumpertus: De legum ac consuetudinum in genere, et in specie earum, quae in Romanis Germanico imperii nostri academias cum universales explicari, aut in judiciis frequentari solent, propriis fontibus ac regulis
11. Caspar, Joh. Georgius: De arbitris
12. Strosserus, Gumpertus: De monopolis ad l. univ. C.
13. Jus Nidder, Adolphus Fridericus: De libello expensis



Handwritten text on the left edge of the page, including the letters 'les' and 'p'.





1775
THEOLOGICA
HILFEN R.

AD PRIMUM ADPRANTE GRATIA
PRESIDE
THEOLOGICI THEOL. DECANO,
MAXIME REVERENDO
ISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,
DN. BALTHASARE
REBELLO,
S. P. P. famigeratissimo, Summi
& Collegii Wilhel-

TYPI JOHANNIS WELPERI



I. N. J. C.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
BIS·MOR·
TUIS.

1672/7.

Gustav Ranke,
2.11.1890.

QUAM,
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,
PRÆSIDE
SPECTABILI FACULT. THEOL. h. t. DECANO,
VIRO MAXIME REVERENDO,
AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,
DN. BALTHASARE
BEBELIO,

SS. Theol. D. & P. P. famigeratissimo, Summi
Templi Ecclesiae, & Collegii Wilhel-
mitani Ephoro gravissimo &c.

Domino Fautore, Praeceptore & Promotore suo

omni observantia & honoris cultu suspiciendo, devenerando &c.

PUBLICO ET SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
subjicit

Ad d. Anno 1672.
M. TOBIAS Winckler / Noribergensis.
A. & R.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

Haber, J. 27

23

AMIC
DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
BIS-MOR

TUTS

QUAM
DIVINA ASSISTENTIA GRATIA

PRÆVIO

THEOLOGICO PASTORALI

DE PASTORALI

THEOLOGICO PASTORALI

DR. BALLTHUSAR

DE

DR. THEOL. D. & P. R. IMPERATORIS

THEOLOGICO PASTORALI

THEOLOGICO PASTORALI

THEOLOGICO PASTORALI

THEOLOGICO PASTORALI

THEOLOGICO

THEOLOGICO PASTORALI

THEOLOGICO

THEOLOGICO PASTORALI

THEOLOGICO PASTORALI

THEOLOGICO PASTORALI





Quam animo semper volvi, & retinui beneficiorum Vestrorum memoriam, eam testatam VOBIS ut facere possem dudum in Votis fuit. Cum enim intelligerem, grates me debitas frustra meditari, nec fieri posse, ut tanto me ære exsolvam, quin plus semper VOBIS debeam; anhelabat utiq; animus, ut aliquâ saltim ratione palam facerem grati erga VOS adfectus conatum. Nata est ex re occasio, cum hoc quaecunq; specimen Theologicum publicæ Eruditorum συζητησὶν exposui, eique, ut splendorem, quem ex se nullum habet, mutuarer, VESTRA præscripsi NOMINA. Crescit sanè hoc ipso apud VOS nomen meum, haud expungitur; malui tamen novum contrahendo, profiteri vetus, quàm nullum omninò grati animi edere indicium. Frustra sim, si hîc memorare velim quot quantisque nominibus VOBIS sim devinctus, neque enim iis enumerandis vel pagellarum angustia vel ingenii sterilis tenuitas par erit; accedit quod

benefici esse Ipsi, quàm dici mavultis: paucis ta-
men multa complecti potero si PRÆCEPTO-
RIS alterum, alterum PARENTIS in me ani-
mum gessisse ex re & vero dixero. Enimverò si
ortus cuncta suos repetunt, cui potius hic debeat-
ur ingenii foetus, quàm qui foecundum illud
doctrinæ culturâ reddidit? Et si PARENTIBUS
omnia debentur, Pater autem non minus est qui
affectu, quàm qui naturâ talis, clarum opinor
est, quo ad VOS jure hoc, quicquid est, pertineat?
Suscipite igitur, quod VESTRUM est, PATRO-
NI OPTIMI, eo, quo me ipsum dignati estis, af-
fectu, hoc est benivolo & favente, & si non est
me letema hoc Tantis Viris dignum, tale esse ex-
istimate, quale à me proficisci potuit; neq; enim
omnes hecatombis, sed plures farre pio litant &
saliente micâ. Sufficiat mihi observantiam er-
ga VOS debitam publicè professum esse: VE-
STRA in me merita DEO curæ erunt, quem ar-
dentibus semper votis precor, ut Ecclesiæ, Rei-
publicæ & Literariæ meis denique mihi que diu
VOS servet: Valet VIRI SUMMI, & fa-
vorem in me pristinum porrò servate.



I. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO THEOLOGICA
De
BIS-MORTUIS.

§. 1.



Um in re omni cognoscendâ primò necessaria sit terminorum, quibus utimur, explicatio; inde & nos, ut commodius, DEO juvante, progrediamur in materia proposita, terminum primùm Bis-Mortuorum explicabimus, & ab æquivocationibus, quibus tenentur, liberabimus. Mors enim & Mortuus & Civiliter dicuntur & Theologicè, ut ita loquar, & Physicè.

§. 2. De acceptione vocis Mortui Civili, sive Juridica prolixius actum ab Adriano Bejero, J. U. D. in problem. Jurid. de Resurrect. Mortuorum edit. Jene Anno 1665. Hæc autem acceptio hujus loci non est; sicut nec altera, quâ in Scriptura S. variè accipitur vox Mortis. Dicuntur enim ibi (1.) Mortui Spiritualiter, qui per peccatum animam à DEO, qui est anima & vita animæ separaverunt. Ephes. 2, 1. & ad Coloss. 2, 13. (2.) Mortui peccato, mundo, legi, vel ceremoniis Legalibus, qui ab iis abstinere, aut iis non sunt amplius obnoxii. Rom. 6, 2. 6. 11, 12. Col. 3, 3. 1. Petr. 2, 24. & Gal. 2, 19. Col. 2, 20. Gal. 6, 14. (3.) Mortui morte afflictionis, quam significationem in 1. Sam. 25, 37.

locum habere notat Maimonides in More Nevochim part. 1. c. 42. cum dicitur Nabalis cor emortuum in interioribus ejus. (4.) dicuntur etiam in Scripturis *Mortui morte secundâ seu aeterna*, qui damnationi æternæ traditi sunt aut adjudicati. Joh. 6, 50. 8, 51. & 11, 26. Apoc. 2, 11. & 20, 14.

§. 3. Nos missis hisce, quæ ad scopum præsentem non faciunt, mortis significationibus intelligimus *bis mortuos morte physicâ sive naturali*, quæ consistit in separatione animæ à corpore, quæque tanquam *ἡ ψῶνιον τῆς ἀμαρτίας* peccatoribus omnibus, adeoque omnibus hominibus naturaliter & ordinariè sustinenda est semel, ut dicitur Hebr. 9, 27. Hanc qui iteratâ vice degustarunt, nobis venient considerandi, & ita quidem, ut ostendamus (1.) dari tales aliquos, qui, resuscitati ex mortuis postliminò vitâ defuncti sunt: (2.) eosdem describamus & à falsis & fictitiis separemus (3.) in statum animarum, qualis inter separationis & Reduntionis tempus fuerit, inquiremus. DEUS annue cœptis!

§. 4. Et quidem dari Bis-Mortuos dubitari forte posset propter locum modò allegatum, nempe Hebr. 9, 27. ubi dicitur *ἀπαξ δυνείθαι τοῖς ἀνθρώποις ἀποθανεῖν*, quod cum certissimum & Spiritus S. effatum sit, prætereaque in Scriptura S. de iterata talium morte expressis verbis mentio non sit facta, quibusdam placuit, istos non mortuos denuo, sed vivos deinde in cœlum translatos ad instar Henochi & Eliæ, teste Gerhardo in *L. de Morte* §. 68. Accessit quod visus sit eorum sententiæ favere Apostolus Rom. 6, v. 7. scribens: *ὁ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας. Mortuus justificatus est à peccato.* Si itaque mortui illi semel justificati fuere à peccato, divinæ justitiæ non videtur congruum, eos stipendium peccati iteratò accepisse.

§. 5. Vc-

§. 5. Verum quemadmodum locus prior in Epist. ad Hebr. de ordinaria naturæ lege loquitur, ita casus miraculosos & extraordinarios non excludit. Alioqui enim nec credibile esset, Enochum & Eliam moriendi necessitati subtractos, & vivos in cœlum receptos fuisse, nec stare illud Apostoli posset, quod 1. ad Cor. 15, 51. scribit: illos, qui adventum Christi ad iudicium extremum superstites videbunt, non morituros sed immutandos esse. Quod ad scripturæ silentium attinet, nos eodem & potiori forte jure illud pro nobis allegamus; neque enim videtur Spiritus S. taciturus fuisse rem tam insignem & miraculosam, si id contigisset, ut resuscitati illi vivi in cœlum fuissent translati. Alterius, quod allegavimus dicti, sensum capiendum esse non de physice mortuis, sed mortuis spiritualiter peccato per baptismum ostendit *Excell. Dn. Praeses in dissert. adv. Anon. de statu, loco & vita Anim. separ. p. 161.* & licet dici possit, videri injustum stipendium peccati eidem homini bis reddi, respondeamus tamen *cum Gerharo loc. cit.* mortuos illos esse primo non ad solvendum naturæ debitum, neque adeò recepisse peccati stipendium, sed mortem sustinuisse pro liberrima DEI potestate & dispensatione, ut Christo & Sanctis occasio daretur manifestandi gloriam DEI, quod & ipse Christus innuit Joh. II. v. 4.

§. 6. Porro si scopum miraculorum horum spectemus, & cur à Sanctis & Christo in vitam hanc reducti fuerint mortui quidam, non alium inveniemus fuisse, quam ut piorum vel agnatorum vel clientum desiderio satisfaceret, qui procul dubio suos non ad vitam immortalem resuscitari petierunt, de qua alioqui in fide sua satis certi erant, sed ut iisdem in vita adhuc præsentis frui & gaudere possent. Unde & ipsi tales resuscitati cæteras
dein-

deinceps mortalium actiones obiere manducando, bibendo &c. non dispensativè, quod Christus ipse fecit post resurrectionem suam ex mortuis, sed ut naturæ necessitati satisfacerent: quod colligere est ex historia Lazari & filia Jairi. Adde quod Epiphanius tradat Lazarum triginta annos, postquam resuscitatus erat, vixisse, & Quadratus affirmet, quosdam à Christo resuscitados ad suam usque ætatem supervixisse. (*cit. Osiandro Histor. Eccl. Cent. 2. Lib. I. cap. IV.*) Hi sane tam illustrem eorum vitæ exordium non videntur prætermisuri fuisse, si is unquam contigisset. Sequimur itaque nos communiorem sententiam, quâ statuitur: Resuscitados à Christo & Apostolis in N. T. à Prophetis autem in V. T. iterum obiisse.

§. 7. Patet inde quinam sint, de quibus dicturi sumus, bis Mortui, tales nempe, qui vita physicè semel verè defuncti, postea verò miraculosè & virtute divinâ in vitam revocati temporis successu morte rursus vel naturali vel violentâ obierunt.

§. 8. Quinam autem & quot fuerint tales haud facilè dixeris: sunt enim quos pro talibus venditavit vel rerum naturalium ignorantia, vel Dæmonis impostura inter Gentiles partim, partim inter Pontificios, vel etiam prava Scripturæ S. interpretatio. Ne quid dicamus de illis qui bis aut pluries mortui dici possunt *καὶ νεκρῶν* per eas quas §. 2. adduximus mortis Homonymias. Quo referenda etiam est Tumuli Infantilis Inscriptio apud *Pontanus Lib. II. Tumul.* ubi Infans bis-mortuus & nunquam natus dicitur:

Mortuus ipse bis, at nunquam editus, inferor urna;

Nam semel, extinctâ matre, quidem morior:

Mox, utero matris caso, divellor & infans

Rursum obeo, infelix nomine quod careo.

§. 9. Di-

§. 9. Diximus haberi nonnullos pro bis-Mortuis propter rerum naturalium ignorantiam: sunt tales qui diuturnâ laborantes *λειποθυμία* ideò habentur pro mortuis, quod anima operationes suas ad tempus non exerat, cum intereà anima ipsa non sit à corpore soluta, sed quoad actus externos vel morbi vel quacunque violentia alia impedita. Huc referri potest Dæmoniacus à Christo sanatus, Marc. 9, 25. 26. qui raptatus à spiritu immundo, hospitium verus agrè relinquire, à miraculi spectatori- bus habitus est pro mortuo tantisper, donec errorem Christus ipse refutavit. Habentur exempla non planè ab- similia passim apud Historicos profanos, & celebre est in- primis illud de Muliere quâdam Coloniensi apud *Mersa- um in Catalogo Episcoporum Coloniensium* (cit. *Kornm. de Mirac. Mort. part. II. cap. XVI.*) quæ pro mortua habita & sepulta quoque, in sepulchro demum mori necesse habu- issent, nisi furaci vespillonis avaritia, DEO rem pessimam ad bonum finem dirigente, liberata fuisset à mortis peri- culo præsentissimo. Nec minus memorabile est exem- plum mulieris alterius Anglicanæ, cui, cum laqueo gula- putaretur fracta, inventa est posthæc viva, Medicorum- que ope sanitati pristinæ integrè restituta est, quod pecu- liaris eâ de re editus testatur libellus. Plura ejusmodi in diuturna *λειποθυμία* constitutorum, atque ita pro mortuis falso habitorum exempla passim apud Historicos partim, partim apud Medicorum filios invenias licet. Verùm hos, cum *λεγομένως* tantùm & *φαινομένως* sint mortui, ad præsentem tractationem non spectare facilè quivis videt.

§. 10. Magis videntur nostris æquales, quos Gen- tiles, & inter eos scriptores graves & cætera fide digni Bis-Mortuos tradidere. Tacemus hîc Eurydicen ab

B

Or-

Orpheo reductam ex inferis, quam fabulam saniores etiam gentilium non credidere: præterimus & fabulam de Glaucio Minois & Alceſtide, quarum commentum ipse ridet *Palæphatus Lib. de Incredibil. Hist. cap. XXVI. & XLI. Plinius Lib. VII. cap. LII.* de Aviola Viro Consulari & Cælio Tuberone Gabieno affirmat, eos postquam mortui sunt denuo revixisse. Paria recenset *Plato de Republ. lib. X.* de Phæreo quodam Pamphilicio, qui, cum ex morte resuscitatus esset, mira, quæ isto temporis intervallo vidisset, narraverit. *Idem Plato (cit. Orig. adversus Celsum Lib. II. pag. 70. edit. Spenceri) narrat Erum Armenium post XII. dies è rogo excitum retulisse de iis, quæ sunt apud inferos, & pergit ibi Origenes, quadrant huc etiam illa, quæ Heraclides de muliere defuncta memorat. Multi etiam alii feruntur reversi à monumentis, vel eadem die vel insequenti.* Hactenus Origenes. Lectu digna sunt quæ ibi annotavit *Spencerus annot. suarum p. 36. 37. & in p. 38.* ubi prolixum eorum Catalogum texit, qui à veteribus Gentilium scriptoribus post funera sua revixisse traduntur. *Idem fecit Mart. Delrio Disquisit. Mag. Lib. II. Q. XXIX. Sect. I. & Hornius ad Sulpicii Severi Hist. S. Lib. I. cap. LXXIX.*

§. II. Verum hæc omnia, siquidem ita, uti traduntur, acciderunt, vel dæmonis ope aut *μυερωτεχνία* effecta sunt, vel ad exempla pertinent, quæ supra §. 9. adduximus. Credibile enim est diabolum hæc nonnunquam occasione usum, & homines non reverà mortuos, pro talibus tamen habitos, remediis naturalibus excitasse, quo cultum sibi divinum falso ac fictitio miraculo DEI simia vendicaret.

§. 12. Patuit verò subinde impuri Spiritus fraudulen-

dulencia, ex disparitione talium παλιμβίων subitanè atque insperatà, quæ aliquoties contigit: Refert eam in rem exemplum *Boissardus Lib. de Divinat. & Magicis prestigis cap. X. pag. 76. & 77. Philinion, inquit, Demostratis & Charitus filia hospitem amavit Maachaten, cujus sibi à Parentibus consuetudinem interdictam dolens, vitam finivit. Revertente autem post mensem unum & item alterum in vetus hospitium Maachate, Philinion tantoperè suis deplorata Parentibus, hospiti noctu se aliquoties junxit: deditque ipsi, & ab eo vicissim accepit munuscula: Id ubi Parentes filia amantissimi forte resciverunt, desiderio filiam videndi impulsu cubiculum intravere, filia vero pauca ad eos locuta confestim evanuit.*

§. 13. Scilicet fuit hoc Dæmonis ludibrium, quod non ap. Gentiles tantùm exercuit frequentissimè, sed & Magorum mancipiorumque suorum jussu aliquoties tentavit inter Christianos. Famosus inter ejus farinae sodales fuit Corn. Agrippa, non sibi tantum, sed & aliis, libris editis perniciosus, (quamvis gradum revocasse videri possit per ea, quæ scripsit *Lib. de Vanit. Scientiarum cap. XLVIII. de prestigis*) qui solitis sibi artibus Dæmonem adegit, ut interfecti ab ipso, Magistro absente, Juvenis corpus subiret aliquandiu, & postea subito desereret, quò repentinâ morte extinctus videretur. Rem omnem prolixius recensuit *Mart. Del-Rio Disquisit. Mag. Lib. II. quest. XXIX.*

§. 14. Sed prolixius hisce immorari non lubet; ut enim illi, de quibus egimus superius, reverà mortuū non fuere, ita hi verè quidem mortui, apparenter autem tantùm resuscitati fuere, atque ita ad nostros non spectant bis-Mortuos. Unum non videtur hoc loco prætermitt-

tendum, quod de Ægyptiorum cadaveribus refert *Camerarius Hor. Subcis. Cent. 1. cap. LXXIII.* nempe quotannis die stato non quidem ea resurgere, aliquas tamen corporis partes exerere modo, modo recondere. Nempe ut Africa semper monstrorum, ita in eâ Ægyptus superstitionum feracissima, & fraudibus ita diabolicis maximè opportuna fuit. Unde & si quid hujus rei contingit, nobis videtur Diaboli Imposturæ quàm miraculo propius.

§. 15. Atque hætenus quidem de iis, quos communis Christianorum consensus à Bis-Mortuorum nomine excludit. Restant alii qui Bis-Mortui dicuntur ab aliis non sine rationum apparenti fundamento, à nobis verò merito tales fuisse negantur. Hos autem magno numero apud Pontificios invenias licet, adeò quidem, ut vix ullus illis videatur aut dicatur Sanctus, in cujus vita non referatur excitatum ab ipso aliquem mortuum. Nempe aliter evenire vix potuit, quin fictitiâ ejusmodi miracula quàm plurima obtruderentur hominibus, præter miracula nihil penè requirentibus ab Ecclesiæ Doctoribus. Atque hoc ipsum occasionem deinde præbuit Monachis otiosis fingendi absurdissima atque ineptissima commenta, quorum posteros cordatiores, accedente inprimis hodie Evangelii Luce, ipsosmet pudet.

§. 16. Sed ut ex tanto Resuscitatorum numero paucos saltem excerpamus, famosissima inprimis est Resuscitatio Trajani, facta à Gregorio Pontifice. Martinum aliquot mortuos suscitasse *in ejus vita* scribit *Sulpicius Severus*; ubi non abs re in præfat. sua judicat *Hornius*: *Miracula illa tradentium vanitate & Sulpicii credulitate laborare.* Et ne prætermittamus id, cujus in hac civitate monumentum extat, recenset *Excell. Dn. Præses* & refel-
lit

In *fabulam de Materno*, primo, ut fert communis traditio, Argentinenſium Apoſtolo, *quæ artiſcioſius quàm verius incifa viſetur ligno tilietino in choro adus S. Pet. Sen. Antiquitt. Eccleſ. Arg. Art. II. §. 4. & ſeqq.* Eo autem proceſſit fabulantium Monachorum impudentia, ut plures aliquando ab uno ſuo Sanctulo mortuos reſuſcitatos tradiderint, quàm à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis in univerſum reſuſcitati dicuntur in tota ſacra S. Ita Patricius LX. Mortuos reſuſcitâſſe perhibetur, *teſte Oſiandro Cent. V. Hiſt. Eccleſ.* Sed quis recensendis hiſce ſufficiat dies?

§. 17. Neque ſatis viſum fuit Monachis tales fingere mortuorum reſuſcitationes, quæ Sanctorum virtute factæ fuerint, niſi & alias commenti eſſent, quas DEUS ipſe immediatè & miraculoſè operatus eſſet. Nata eſt circa caſum ejuſmodi celebris controverſia, & inter *Launoquin*, Theologum Pariſienſem, & aliquos fabulæ defenſores agitata ante annos non ita multos in Gallis. Si vera eſſent, quæ hi de Doctore quodam tradunt, neceſſe fuerit eum ter brevi temporis intervallo revixiſſe & ruruſum mortuum eſſe. Videri poteſt libellus *de vera cauſa ſeceſſus Brunonis in Eremum*, editus à laudato *Launoy* in Gallis, & hîc reſuſcitatus, ubi fabula tota accuratè refellitur. Conſultò hic præterimus creberrimas apud Pontificios mortuorum apparitiones, quæ ſi omnes veræ eſſent, ac non potius Dæmonum ludibria, innumeri ſane eſſent, qui à mortuis reſurrexiſſent. Sed & de hiſ ſatis, neque enim illi ad ſcopum noſtrum directè pertinent.

§. 18. Neutiquam verò hæc eò diximus, quod negare velimus, ullum vel à Chriſto & Apoſtolis, vel ab aliis Eccleſiæ Doctoreſ & Viris ſanctis reſuſcitatum eſſe.

se præter illos, quorum in Scriptura S. fit mentio. Fieri enim potuit sub initium nascentis Ecclesiæ, vigente adhuc miraculorum dono, ut aliqui ab Apostolis & Apostolicis Viris fuerint in hanc vitam revocati & deinceps rursus mortui; sed cum ejus rei monumenta fide digna vix extent, malumus eosdem silentio præterire, quàm veros falsosque confundere. Inde missis ἀγέφοις nos convertimus ad bis-mortuos ἐξέφοις sive illos, quorum historia habetur in Scripturis sacris.

§. 19. Verum & hîc cautione opus est, ne cum quibusdam plures faciamus bis-mortuos, quàm reverà in Scriptura fuisse traduntur. Unde huc non spectat. (1.) Dæmoniacus à Christo sanatus Marc. 9, 25. 26. de quo diximus aliquid supra §. 9. Neque (2.) huc pertinet numerosus resuscitatorum exercitus ab Ezechiele visus in spiritu, quo de consule cap. XXXVII. dicti Prophetæ. Neque (3.) ad bis-mortuos referendus Samuel, Pythonissæ præstigiis ab inferis reduci visus. Equidem non desunt ex Veteribus partim, partim ex Recentioribus, qui non phantasma, sed verum Samuelis sive corpus, sive animam à Pythonissâ reductum asserunt. Citantur à Grotio hujus sententiæ Patroni *Josephus, Justinus, Ambrosius, Augustinus*, (qui quæstionem reliquit dubiam & indecisam *Lib. II. ad Simplic. Quæst. III.*) *Basiliius &c.* Ex Recentioribus *Lyra, Cajetanus &c.* quibus addi potest *Bodinus de Demonoman. lib. 2. cap. 3.* Ubi notamus citatum à Grotio Justinii Martyris locum, continere insignem tanti Patris nævum. Ita enim ille Dial. advers. Tryph. Judæum p. m. 260: φαίνεται ἡ ὅτι πᾶσαι αἱ ψυχαι τῶν οὕτως δικαίων καὶ προφητῶν ὑπὸ ἐξουσίαν ἐπιπλον τῶν τοιούτων δυνάμεων, ὅποια δὴ καὶ ἐν τῇ ἐκείνῃ ἐκείνῃ ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων

παν ὁμολογεῖται. i. e. Apparet autem, quod omnes talium iu-
storum & Prophetarum anima sub potestate cadant eius-
modi spirituum, qualem & in ventriloqua ista fuisse ex re-
bus ipsis convincitur. Probat hanc sententiam ex Christi
oratione in Cruce, quâ Patri Spiritum suum in manus e-
jus commendavit. Luc. xxiii. 46. Verùm quàm hæc
consequentia sit infirma quilibet videt: Nec enim se-
quitur: Christus commendavit Patri cœlesti animam
suam, ergo dæmonis ea viribus atque injuriis fuit subje-
cta. Quantò rectius autor Quæst. & Resp. ad Orthodo-
xos, (quæ adscribuntur vulgò eid. Justino, sed falso, quod
præter alios ostendit & B. D. Dannhauverus Christeid. p.
909.) τὰ ἅλλα πάντα, inquit, ὑπὸ τῆς ἐγγαστριμύθου γεγονότα κτ'
τὴν ἐνέργειαν τῆς δαίμονος, τῆς τὰς ἕψεις φανταστικῆς τῶν ὁρώντων
τὸν οὐκ ὄντα Σαμὴλ. i. e. Cetera omnia à ventriloqua facta
sec. operationem Dæmonis fascinantis oculos videntium
eum, qui non erat Samuel. Hæc ille.

§, 20. Referrī & inter sententiæ supra dictæ Hy-
peraspistas potest scriptor Anonymus, de vita, loco & sta-
tu Animarū separatarum, qui sententiam suam hâc ani-
mæ Samuelis apparitione firmaturus, eam cū spiritu suo
redunitam, postea verò eodem privatam fuisse asserit.
Refutatus autem est ille ab Excell. Dn. Praside in exami-
ne Serie istius Disquisitionis pag. 171. ut hîc prolixius eâ de
re agere non videatur necessarium. Agnoverunt hîc lo-
ci Satanæ præstigias etiam Veterum non pauci, in quibus
Tertullianus (citatus modò laudato Dn. Prasidi Sect. III.
Antiq. Eccl. art. III. Sect. V. §. 44.) Absit, ait, ut animam
sancti, necdum Propheta à demone credamus exstructam,
seducti, quod ipse Satanus transfiguretur in Angelum Lucas
eo DEO se asseveraturus, signaque portentosa editurus, ad

quæ-

evertendos, si fieri posset, electos. Sequimur & nos hanc sententiam, & Samuelem non resuscitatum fuisse, neq; quoad corpus, neque quoad animam, sed Principem tenebrarum sub ista Samuelis larvâ latuisse credimus, cum *B. D. Dannh. Hodosoph. phenom. IV. p. m. 413.* (1.) quia is, qui Sauli respondit, Propheta non fuit, hoc enim DEUM permittere voluisse expresse negatur v.6. c.28. 1.Sam. (2.) quia Samuelis anima, in manu DEI constituta, inquietari non potuit. Sap. III, 1. (3.) quia Samuel verè dicere non poterat, Saulem, tanquam futurum *αὐτόχρηστος* secum, id est in statu beatitudinis futurum. (4.) quia Samuel verus Saulis adorationem procul dubio recusasset. Videri plura in hanc rem possunt loco citato, ubi adversariorum exceptiones solvuntur.

§. 21. Occurrunt hîc (IV.) resuscitati à Christo, cum ipse resurgeret, Sancti, qui Hierosolymam vivi intrarunt, de quibus Matth. 27, 52. Quæri multa de iis curiosè magis quam utiliter solent. v.g. fuerintne SS. Vet. T. an verò ex illis, qui Christum in carne viderant, atque ad eò sub ipsum N. T. initium obierant? Posterius placet *Comarino in Disp. de Bis-Mortuis th. V. p. m. 177.* Rationem ibi hanc adducit, *quod civitatem Sanctam introiverint, atque illic multis apparuerint, à quibus procul dubio (ut ait) cogniti fuerint, agnosci autem ordinariè nō potuisse, nisi vel ipsi se manifestaverint (quod si fecissent, aliquid fortasse de eorum nominibus haberemus) vel apparuerint senibus, apud quos nondum eorum forma & memoria erat oblitterata.* Sed his sane rationibus res non evincitur. Neque enim hoc statim sequitur, quod, si illi nomina sua edidissent, ea statim ab Evangelistis inserta fuissent SS. literis. Multa enim ejusmodi, quæ ad circumstantias præsertim histo-
ricas

ricas pertinent, Scriptores SS. licet ipsis notissima certo consilio omisisse, notius est, quàm ut hîc dici debeat. *Augustinus Ep. 99. ad Evodium* durum existimat ex Resuscitatorum istorum numero excludere Davidem, sed illi sententiæ obstat locus Act. II. 29. ubi Davidis sepulchrum salvum adhuc atque integrum extare asserit Petrus Apostolus. Nos hîc nihil certi definiemus, silente quippe Scriptura. Interim improbabilis non est *B. Dn. Dannhavveri* sententia, quæ habetur *hodosoph. phanom. VIII. p. m. 744. Virtutem hanc resurrectionis Christi sensere sancti, cum ipso ad vitam immortalem resurgentes, Job. e.g. qui se visurum esse Goëlem vaticinatus est ea visione, ad quam nullus peregrinus admittetur, at in resurrectione universali videbunt omnes. Simeon & Joh. Baptista, ut qui optimè de τὸ αὐτὸ testari potuerunt esse τὸ τὸ αὐτὸ quod pridem viderunt in exinanitione. De Josepho hæc notat Lutherus in calce comm. in Genes. p. ult. Joseph hic fidem suam declarat, cum in eorum numero esse cupit, qui resuscitandi erant cum Christo, & credo eum, una cum aliis sanctis, quorum mentio fit Matth. 27. rediisse in vitam. Vult omninò in terrâ Canaan requiescere, quanquam parum momenti est in loco & sepultura: potuisset enim humari in Ægypto quoque; nec difficile erat Christo, sive ex Ægypto sive aliunde suscitare Patres. Sed ad testificandam fidem suam in Christum, jubet ossa sua deferrî in terram Canaan. Hactenus Dannhavverus.*

§. 22. Ad rem præsentem id magis pertinet, ut inquiramus, quidnam de his sanctis factum sit postea? Intraverintne rursus sepulchra, adeoque bis mortui fuerint, an verò unà cum Christo in cœlum sublatis sint? Prius sentit præter alios *Comarinus l. c. p. m. 175.* Citat pro sua sententia *Autorem libri de Mirabil. Scr. Sacra, sive is Au-*

C

gusti

gustinus est sive alius (qua de re vide *Labbeum in Bellarm. de script. Eccles. Tom. I. pag. 133.*) & *Augustinum Ep. XCIX. ad Evodium*, nec non *Calvinum* (licet parum sibi constantem) in *Matth. 27, 53.* & th. ult. addit *Hieronymum*, qui operum suorum *Tom. IX. in loc. cit.* hæc habet: *Quomodo Lazarus mortuus resurrexit sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt.* Subsumit jam *Comarinus*: *Atqui Lazarus resurrexit ut rursus moriturus, ergo.* At verò si hæc *Hieronymi* autoritas pro *Comarino* stat, necessum est eum non de modo solum resuscitationis miraculoso, sed ejusdem qq. sine terminativo & consequentibus loqui, quod facilius *Comarinus* dixerit quam probaverit. Favet *Comarino* præter adductos etiam *Theophylactus*, apud *Mota-cut. Origin. Eccles. Tom. I. p. II. pag. 422. οὐδέδηλον*, inquit, *ὅτι καὶ πάλιν τεθνήκασιν.* atque idem probare nonnulli (ut refertur in *Harmon. Chemnit. Lyseriana*) satagunt ex *Revelationibus Brigittæ*, infirmo sane & plane ficulneo, quod dici solet, fundamento. Placet nobis *Eusebii* sententia *Lib. IV. Demonstr. Evang. cap. XII. Epiph. Hæres. LXXV. Ambrosio in Psal. & aliorum*, qui dictos Sanctos ad vitam immortalem resurrexisse & cum Christo in cœlum postea ascendisse statuunt. Et licet hoc expressè in scripturis tam non habeatur, quam sententia opposita, favet tamen ipse textus, cum dicit *ἐνεφανίσθησαν*, quod verbum quandam glorificati corporis affectionem non obscure continet. Videri possunt loca *Marc. 16, 9. Matth. 24, v. 30. it. Matth. 1, 20.* ubi partim de Christi corpore glorificato, partim de angelis idem verbum in forma licet simplici usurpatur.

§. 23. Peculiarem de Sanctis hisce sententiam fovet *Autor quest. & Resp. ad Orthod.* qui *Resp. ad Quest. LXXXV.*

LXXXV. eos non quidem reuerfos in pulueres luos, neque tamen receptos corpore in cœlum beatorum, sed in Paradiso, quem ille distinguit cum multis aliis veterum, à cœlo beatorum, generalem expectare resurrectionem asserit. Οὐκ, inquit, ἐτελεύτησαν πάλιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐν ἀθανασίᾳ, καθάπερ ὁ ἐνώχ καὶ ὁ ἠλίας, καὶ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ ᾠραδείῳ ἀναμεινόμενοι τὴν ἤδη αἰωνίαν τῆς ἁγίας ἀναστάσεως γιομμένην καὶ ἐναλλαγὴν. εἰς γὰρ ἀθάνατον τε καὶ ἀφθαρτον ζῶν ἔπω γέγονέ τι καὶ ἡ ἀνάστασις πλὴν ἁγίου καὶ χριστοῦ. i. e. vertente Frid. sylburgio. *Non mortui sunt iterum, sed manent in immortalitate, sicut Enoch & Elias, & sunt cum illis in Paradiso, expectantes aeternam resuscitationem Christi & restitutionem sempiternam primo quoque tempore per mutabilitatem futuram. Ad immortalē enim & incorruptibilem vitam nondum ulius facta est resurrectio, præterquam Salvatoris Christi. Sed subtilius hæc, quam veriùs distinguuntur, nec satis apte cohæret quod dicitur, μένειν τῆς ἀγίας ἐν ἀθανασίᾳ, & ἔδενός ποθός ζῶν ἀθάνατον γεγονέναι τὴν ἀνάστασιν.*

§. 24. Adduximus supra inter cæteros qui Comarini sententiæ addicti sunt, Patres, etiam *Autorem Libri de Mirabilibus Scripturae S. lib. III. c. XIII.* ubi verba ita habent de Sanctis hisce: *Rursum in monumenta, quomodo & de Mose memini, reintrarunt, ubi resurrectionem omnium novissimam expectant.* Unde colligas dictum autorem in ea esse sententia, quòd Moses quando apparuit Christo una cum Elia, (Matth. XVII, 3.) miraculosè à DEO ad tempus resuscitatus, deinde vero rursus defunctus, atq; adeò inter bis-mortuos referendus sit, cui etiam sententiæ adstipulatur Calvinus. Aliud nos sentimus cum *Cappello, Grotio, Chemnitio, Lysero*, aliisque: nempe cum DEUS Mosē ipse sepeliisse dicatur Deut. XXXIV, 6. Micha-

el vero Archangelus cum Dæmone, qui habebat *νεκρός*
 & *ζωνάτος* Hebr. II, 18.) dictus propterea ab Hebræis Ange-
 lus Mortis, altercatus fuerit de illius corpore, probabile
 credimus nos, Mosen à Deo resuscitatum, & cum cor-
 pore una atque anima in cœlum translatum, indeque ad
 colloquium cum Christo habendum remissum ad tem-
 pus, pòst eodem reversum fuisse. Neque enim credibilis
 videtur tam brevi temporis momento duratura corpo-
 ris demortui reassumptio, & ejusdem subitanea rursus
 depositio. Aliquid non plane absimile de angelis quidem
 & Filio Dei in V. T. legitur, non item verò de hominibus
 defunctis. Nostræ sententiæ accedit Rabbiorum de
 Mose traditio, licet multis fabularum involucris vestita
 atque obducta, non tamen omninò vanà aut falsa. Sta-
 tuunt enim ipsi teste *in l. cap. Matth. Capello*, Mosen jam
 non esse mortuum, sed Deo in cœlis ministrare: *וכן אמרו*
על משה רבינו לה מר אלה עלה ומשמש
במרום Sic dixerunt sapientes nostri; Moses, Magister no-
 ster, non est mortuus, sed ascendit & ministrat in excelsis.
inquit Maimonides p̄fat. in Thalmud. Unde autem hoc
 ipsum haulerint Judæi, an ex N. T. id didicerint cum aliis
 pluribus, an verò nuda majorum traditione acceperint,
 quorum illud placet Capello, nunc non vacat inquirere.
 Illud saltim non videtur admodum probabile, quod Ca-
 pellus putat, Judæos ex hoc ipso loco Matthæi verba
 quædam mutuatos fuisse, ad exprimendam Mosis for-
 mam, quâ eum præditum offenderit Angelus Mortis.
 Sed hæc obiter & *ὡς ἐν παρόδῳ.*

§. 25. Accedimus nunc ad bis-mortuos reverà
 tales, quorum in SS. literis fit mentio. Suntque eorum
 haud plures quàm octo, è quibus tres Veteris Testamen-
 ti

ti historia, reliquos vero novi foederis scriptores memo-
 rant. Primus omnium est filius viduae Sareptanae ab Elia
 Prophetâ suscitatus, cujus mentio fit I Reg. XVII. Sunt hîc,
 qui asserere non dubitant cum Hebræis fuisse hunc Jo-
 nam, Prophetam & ipsum postea. Ita *autor libri de Mira-
 bil. Scr. & Hieron. prafat. in Jonam.* Jonam autem filium
 Amithai vel Veri vel Veracis dictum ajunt, quod mater,
 viso filio ex mortuis resuscitato Prophetæ dixerit: **עֲתָרָה**
יָדַעְתִּי כִּי אִישׁ אֱלֹהִים אַחֲרָי וּדְבַר יְהוָה בְּפִיךָ אִמְתָּ:
Nunc cognovi quòd vir Dei sis, & verbum Dei in ore tuo Ve-
ritas. Repugnat autem huic sententiæ partim temporum
 supputatio, partim aliæ textus circumstantiæ. Historia e-
 nim resuscitati à mortuis Sareptani dicitur contigisse sub
 initium Regni Achabi, quod secundum Calvisii supputa-
 tionem incidit in A.M. circiter 3023. Jonas verò vaticiniis
 claruisse dicitur sub Jeroboamo II. Rege Israël 2. Reg.
 XIV. 25. cujus imperium cœpit A. M. 3114. & licet excipi
 forte possit, textum allegatum non evincere expressè,
 quòd vaticinium suum tum demum ediderit Jonas, cum
 ejus complementum jamjam instaret, obstat tamen pa-
 triæ diversitas, quò minus idem sit cum nostro Jonas. Sa-
 reptanus enim ille fuit, quæ urbs Sidoniis vicina & extra
 Judæorum ditionem sita Ebræis **צִרְפָּרָה** Obad. v. 20. Græ-
 cis verò **Σάρπητις τῆς Σιδῶν** Luc. IV, 26. dicitur. Jonas ve-
 rò se ipsum Hebræum profitetur. **עֲבָרִי אֲנוּכִי** inquit ipse
 c. I. v. 9. & II. Reg. XIV. 25. dicitur fuisse de **חֶפְרָה**,
 quæ civitas sita est in tribu Zabulon, ut ex Jos. XIX. 13. col-
 ligit Kimchi. Quod Arias Montanus hic statuit vocem **עֲבָרִי**
 non patronymicam sed appellativam esse, nec He-
 bræum sed transgressorem significare, id neque in linguæ
 Sacræ recepto usu fundamentum habet satis firmum, ne-

C 3

que



que cum cæteri textus *συναφεία* satis aptè cohæret. Statuimus nos nomen resuscitati hujus hodie neminem nôsse & frustra hîc quæri quod scriptura tacuit, præsertim cum ad rem ipsam nomen parum aut nihil conferat. Sufficit scire filium hunc morbi vi extinctum & verè mortuum, deinde autem ab Elia virtute divinâ in vitam revocatum esse.

§. 26. Extenuant hoc miraculum, qui filium Viduæ Sareptanæ non verè mortuum fuisse, sed ejus tantùm halitum defecisse statuunt cum *Andelosenis apud Majemon. part. I. Mor. Nevoch. c. 42.* Et sane probatione non indiget tale quid accidere nonnunquam in morbis acutis, cujus rei exempla adduximus supra §. 9. Verum id hîc accidisse negamus. Verè enim mortuum fuisse textus ipsa verba probant: *ויהי הליו תזק מאור ער אשר לא נותרה בו נשמו* *Invaluit morbus ejus valde, donec non remansit in eo anima.* Nempe non debilitatæ, aut vi morbi saltim suspensæ sunt ad tempus animæ operationes, sed non remansit in eo anima; verè separatus à corpore suo Spiritus fuit, quod nisi factum esset, quid attinisset queri Prophetam, quod Deus interfecisset hospitæ suæ filium, Deumq; deprecari ut reverteretur anima pueri in interiora ejus, (*תשוב - נשמה - הילך הזר - על - קרבו*;) de quibus secundum hanc sententiam nunquam exierat. Neque obstat *Mosis Cordubensis*, cognomento Ægyptii objectio, qui (citante alicubi *Drusio*) parem adducit locum ex Dan. X, 17. ubi de seipso Daniel: *נשמה לא גשערה* *i. e. Anima non relicta est in me.* Ubi sane ipsæ textûs circumstantiæ, Daniele adhuc vivo & ipsomet loquente, phrasæ hujus sententiam aliam suppeditant: notior quoque est vocis *נשמו* apud Hebræos homonymia, quàm ut hîc loci prolixè eam exponere opus sit. Videri potest

potest *Buxtorffius* in *Lexico* voce $\text{—} \text{—} \text{—}$. Taceo quod verba orationis Propheticae supra citata non $\text{—} \text{—} \text{—}$ solum sed & $\text{—} \text{—} \text{—}$ corpore excessisse significant. Merito quoque hic rejicimus glossam *R. Levi ben Gerson*, qui, ductus forte verbis vers. 21. *Eliam prius explorasse tradit vim animae residuam in visceribus, ut corde, jecore, stomacho &c. & hanc demum cognita orasse ad Deum.* Verum quàm illud fundamentum sit nullum, facile cuivis patet textum inspicienti penitius: quicquid illud sit, quod Elias ter incuberit puero, eoque calorem nativum visus sit aliquo modo revocare atque excitare velle, id sane non probat animam corpori suo etiamnum extitisse praesentem. Notum est Deum in Vet. non minus quam in N. Test. quando dona sua ad Prophetarum aut Apostolorum preces aliis contulit, usum nonnunquam Symbolis aliquibus externis, (quæ & ipse Christus aliquoties adhibuit) magis ut symbola ista significarent vim agentem, quàm ut ipsa aliquid agerent. Sed in hunc scopum plura venient dicenda mox, contra *Anonymum Autorem* scripti perniciosissimi *de Libertate Philosophandi*.

§. 27. Succedit nunc alter, cujus in Vet. Test. libris mentio fit resuscitatus ex mortuis ab Eliae successore & discipulo Elisæo. Hospitæ itid. Propheticae filius: habetur, ejus historia II. Reg. IV, 25. Ignoraturque & hujus nomen solaque traditur Patria, Sunem. Matrem ejus fuisse sororem Abitag Sunamitidis, quæ Davidi seni oblata est tradit *R. Salomon*, parum tamen probabiliter secundum temporum rationem, cum à morte Davidis ad Elisæum LXXX. minimum anni intercesserint. Cæterum ausus est & hic Diabolus de suo loqui, hoc est calumniari mentirique adversus DEUM. Nam & hunc verè mortuum esse negant
non-

nonnulli ἐκ τῆς ἀντὶς μέρους. Prodiit eorum unus sed Anonymus in *Tract. de Libert. Philosoph. c. VI.* qui ita: *Ut Elisa, inquit, puerum, qui mortuus credebatur, excitaret, aliquoties puero incumbere debuit donec prius incaluerit & postea oculos aperuerit.* Ut penitiùs noscamus unde hæc fluant, ipsam hominis hypothesin propius contemplari iuvabit: *Absolutè, ait ibidem, concludimus, omnia, quæ in scriptura verè narrantur contigisse, ea secundum leges naturæ ut omnia necessariò contigisse, & si quid reperiatur, quod apodicticè demonstrari potest legibus naturæ repugnare, aut ex his consequi non potuisse, plane credendum id à sacrilegis hominibus SS. literis adjectum fuisse: quicquid enim contra naturam est, id contra rationem, & quod contra rationem, id absurdum est, ac proinde etiam refutandum.* Nempe is finis est, ad quem manibus pedibusque obnixè tendit, hæc Helena, ob quam certat, ut rationi in Scripturam dominium asserat, quo jure quâque injuria. Sed omnia quæ hîc continentur absurda nunc persequi non vacat. Illud saltem sufficiet indicâsse: quando ex eo, quod Elisa incubuit puero, colligit, eum hoc qs. fomento refocillatum in vitam rediisse, falli eum insigniter. Indicavimus superiori thesi ejusmodi actuum symbolicorum usum, suntque in SS. literis non infrequentia eorundem exempla. Ita Exod. IX, 10. quando Moses favillam in aërem spargit, Ægyptii ulceribus infestantur, quando scipionem cœlum versus extendit, jam grandine & fulguribus omnia miscentur, jam densissimo tenebrarum chao omnia sepeliuntur. Quæ sane omnia cum (quod asserere sed sine probatione conatur Anonymus) tantorum effectuum causæ physicæ esse minimè possint, necessariò nisi blasphemè atque impiè ea negare velimus, pro miraculis, rationi non contrariis:

rii:

riis, sed eadem superioribus ipso sanæ rationis ductu agnoscere cogemur. Ita qn. idem Elisæus Sal projecit in profluentem, eaque ratione sterilitatem atque insalubritatem scaturiginis sustulit, non facile crediderim fore, quenquam mentis usque adeò stupidæ, ut sal illud physicam salubritatis fertilitatisque causam credat; alioqui enim non deessent forte nec loca, quæ hoc indigerent remedio tam parabili, nec Prophetæstri, qui exinde Sanctitatis sibi famam aucuparentur. Pari modo quis dixerit sputum illud cœci oculos aperuisse, quod Christus ipsis illevit, (Joh. IX, 6.) nempe tanquam causam physicam, sine accedente vi extraordinaria atque omnipotenti? Sane actus illi perinde se habent ad effectus illos, ut voces, quibus aliquando usus est Christus, ut *καθαρίσθητε* Marc. I. 41. *ἀγαπᾶτε* (ἐφφάθη) Marc. VII, 34. *ἔγχετε* (κῆμι) Luc. V, 24. His enim vocibus Magicam aliquam ad effectus illos producendos vim tribuere ἀποπov sane est. Accedit huc quod resuscitatio hujus pueri II. Reg. VIII, 4. referatur expresse inter *אשר עשה אלישע הגדול* seu magna illa atque insignia facta, quæ fecit Elisa, quod procul dubio absurdum esset, si res hæc ex causis physicis contigisset. Stat itaque firmo talo mortuum & hunc reverà, & miraculosè resuscitatum fuisse.

§. 28. Ultimus qui in V. T. refertur resuscitatus, Anonymus iterum est, sed talis, de quo, an vere fuerit mortuus, nullus penè dubitandi relictus est locus. Is enim jamjam sepulturæ proximus imò sepulchro mandandus, cum, ingruentibus Syrorum copiis, vespillones destinatum ipsi sepulturæ locum non possent attingere, ab iisdem proximè obvius, eique Elisæi sepulchro injectus, ubi Prophetæ ossa contigit, revixit. II. Reg. XIII, 21. Litigant
D hîc

hîc satis operosè, sed præter necessitatem Rabbinî, quid hominis hic fuerit resuscitatus? Placet aliquibus, & in his Kimchio, fuisse hunc virum justum & pium, dictû **שלום** Sallum, maritum Huldæ Prophetissæ (cujus mentio habetur II. Paral. XXXIV, 23.) & egressum sepulchro, rediisse domum, & genuisse quoq; filium **חנניה** dictum. Alii contra sentiunt fuisse eum impium atque indignum, qui juxta Prophetæ ossa cubaret; inde sepulchro rursus egressum, statim concidisse, alioque loco sepultum fuisse.

§. 29. Amplectuntur hanc Judæorum glossam, tanquam scenæ suæ non pessimè servientem, Pontificii, indeque Sanctorum reliquiis cultum aliquem asserere, nituntur, quippe quem Deus ipse tanto miraculo edito requisiverit. Verùm si maximè demus, rem ita, uti nugantur Hebræi gestam, exsculpi aliud nihil poterit, quam non debere contumeliosè atque irreverenter tractari SS. **λειψανα**, quo de neque nostrum quisquam dubirat. Quid? quod aptissimè argumentum retorquet noster *Chemnitius in Exam. Concil. Trid.* & ab Elisæi exemplo concludit, sepulturæ mandanda SS. corpora, non vulgi venerationi atque adorationi exponenda. Sed necdum huc ventum est, ut necessum sit has Judæorum traditiones recipere; ut enim prior quoad nominis aliasque circumstantias plus æquo curiosa sine fundamento sufficienti, ita posterior nullo modo videtur probabilis, cum in SS. non extet exemplum alioquin ullum resuscitati ex mortuis damnati, quicquid sit de illis, quos Pontificii fingunt Paparum suorum meritis atque miraculis ab inferis reductos.

§. 30. Sed hæc hæctenus de illis quorum mentio fit in V. Test. unum non pigebit addidisse: Hornium nempe conjicere, sepeliendum illum, eundem esse cum Genti-

li-

lium Eride Armenio, de quo *Plato X. de Répub. & Eusebius IX. de Præp. XXXV.* Non equidem negari potest, multa ejusmodi Gentiles ex SS. Literis, sive fama etiam ab Ecclesia Judaica emanante hausisse, & postea suis involuta fabulis posteritati tradidisse; sed quæ hîc Hornius argumenta addit, vix videntur omne ferre punctum. Ait enim fuisse illum militem Syrum, cum autem Syria dicatur Aram, inde Græcos fecisse Armenium. Primum militem eum dicit, sed sine textus S. autoritate: deinde Syrum etiam præter S. Codicis fidem: juxta illum enim Ebræus potius fuisse videtur & de illa gente, quam tum persequebantur Syri seu Aramæi conf. v. 19. d. c. XIII. & capp. seqq.

§. 31. Pergimus ad Novum Testam. & suscitatos ejus tempore à Christo & Apostolis intuemur. Inter illos qui à Christo in vitam reducti sunt, quosdam quasi gradus observat ex Nysseno Gerhardus: *primo, inquit, anno excitavit filiam Jairi modo defunctam, neque dum domo ad sepulturam elatam. Secundo anno excitavit filium viduae in Nain, qui jam dum ad sepulchrum deferebatur; tertio anno resuscitavit Lazarum, sepulchro jam dum illatum & ante quatrimum mortuum; tandem etiam proprium corpus divinâ virtute ex mortuis resuscitavit, quod est miraculorum omnium maximum & divinisimum, ut nos in fide resurrectionis confirmaret.* Hæc illi.

§. 32. Primum itaque resuscitata est filia Jairi, cujus historia habetur Matth. IX, 18 Marc. V, 22. Luc. VIII, 41. Posset moveri dubium, fueritne puella dicta verè mortua, cum Christus ipse dicat: *τὸ παιδίον ἐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει.* *Puella nō mortua est, sed dormit.* Respondemus nos; dormivisse puellam Christo, mortuam fuisse hominibus. Nimirum cum impossibile esset, humanâ ope aut virtute susci-

tare defunctam, Christus divinâ, quâ pollebat virtute, æ-
 què facile suscitare eam poterat, ac homo hominem ali-
 um dormientem. Quem hîc Ἐφημισμὸν quærit *Grotius ad*
Matth. 9, 24. nos non agnoscimus. Notum est quid genti-
 les verborum conquisiverint ad molliter velandum triste
 illud & πάντων φοβερῶν φοβερῶτατον, mortis nomen, qua de
 re videri præter cæteros potest Theologus meritissimus,
 ὁ μακαρίτης Dillherrus, Præceptor noster semper veneran-
 dus, lib. 1. Elect. cap. XVI. & Tom. I. Dissert. philolog. Dis-
 put. XV. de antiquo ritu funerum. Verum alio longe sen-
 su atq; scopo gentiles suos Ἐφημισμὸς usurparunt, quam
 Christiani: illi ne mortis recordari cogerentur, quam, si-
 ne fiducia alterius vitæ existentibus, horribilem esse ne-
 cesse erat; hi autem, ut mortis terminum, resurrectionem,
 subinde in memoriam sibi revocarent, atque ita mortis
 etiam desiderium ultro excitarent, somnum dicebant
 mortem. *Mortuos dormientes appellat Scriptura veracissi-
 ma consuetudo, ut, cum dormientes audimus, evigilatu-
 ros minimè desperemus* inquit alicubi *Augustinus.* Verum hîc
 alia mens Christi, uti diximus. Respondent tamen phrasi
 cæteri Christi actus, quibus in resuscitatione hujus puel-
 læ usus est, ut: quod vocaverit eam, quod manu appre-
 henderit, quo fere modo dormientem excitare solemus.
 Alioqui verè mortuam fuisse puellam satis probat textus
 aliquoties & inter cætera Lucas c. IX. v. ult. qn. ait: καὶ ἐπέ-
 σπεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς & reversa est anima ejus. Si reversa, er-
 go corpore prius excefferat. Simili argumento usi sumus
 etiam superius in historia Sareptani ex mortuis re-
 suscitati.

§. 33. Abusus est præter alios hoc Christi dicto et-
 iam *Anonymus ille Psychicus de stat. Anim. separ.* illudq; ad
 con-

confirmanda sua deliria detorquere conatus est pag. 149. dicti tr. Nempe cum Christus ait, non mortua est puella, sed dormit, exponit ipse, *non mortua est quoad animam, ita ut anima interierit, sed dormit.* Sed & textus ipsi repugnat *συνάφεια* & ipsemet sua cædit vineta. Quis enim credat, τὸ ἔν ἀπέθανεν ἀλλὰ καθεύδεις Christum sic accepisse, cum expresse dicantur spectatores *εἰδηκέναι ὅτι ἀπέθανε;* neque credibile est, quod quidem asserit Grotius, ad Matth. IX. domum hujus Archisynagogi fuisse Sadducæorum opinioni addictam, alioqui vix unquam aliquid de filia resurrectione sperare ausus esset Jairus. Deinde hæc ipsa expositio, quam huc infert psychicus ex propriis ipsius verbis incongrua esse convincitur: quandoquidem enim *illa anima* (ut ipse ait, p.c.) *Deo vivat, qui in iis suas operationes habere pergat, quas illa etiam, licet omnium sensibilibus incapaces in se tamen admittant, iisque tanquam vivens aliquod afficiantur;* quis credat has animas, tum maximè operantes, vocari aptè posse dormientes? ἀτοπον! Rem omnem breviter & accuratè complexus est B. Dannhavverus Hodosoph. phæn. VIII. p. m. 629. *Puella, ait, non fuit mortua, sed vixit Christo ac Jairo in fide, æstimatione verâ Marc. V. 39. in simili, extincta in lychno flamma, cum statim reaccenditur, physicè quidem extincta est, non tamen existimatur extincta: neque idèò improprie tale est, quod æstimatione tale est, nisi & homo, justitia Christi imputata justus, improprie dicatur justus.* Haftenus B. Dannhavverus.

§. 34. Secundo loco excitavit Christus filium viduæ in civitate Nain, de quo Lucas c. VII, II. nec habetur hæc historia apud alium præterea Evangelistarum, quod tamen ipsum veritati ejus nihil derogat. Minus de eo dubitari potest, fueritne reverà mortuus, cum historia Evan-

gelica palam testetur collocatum jam tum in feretro & sepulchro inferendum fuisse, nisi insperatò Christus occurrisset, & lugentis viduæ misertus juvenem vitæ restituisset.

§. 35. Succedit porro Lazarus Bethaniensis, Mariæ & Marthæ frater, Christo dum viveret in terris, eximie charus. Prolixè ejus historiam texit Johannes c. XI. & quidem solus. Contenti enim cæteri Evangelistæ vel uno miraculi adeò illustris exemplo poterant esse, ad demonstrandam piis mentibus Christi divinitatem, nihil profecturi apud obstinatos & incredulos, si vel maximè plura junxisset, Conjectura est Grotii, in h. l. *tacuisse ideò Evangelistas hoc miraculum, quod nossent paratas Lazaro ob id à Judæis insidias (Joh. XII, 10.) Johannem verò, qui Evangelium suum post ceteros demùm scripserit, narrationem illam liberè potuisse inserere suæ historia, erepto jam per mortem iteratam Judæorum sevitia atque invidia Lazaro: Quod nos suo loco relinquimus.*

§. 36. Quod ad rem ipsam attinet, quod Christus (v. 11.) de Lazari somno dicit, id exponendum est, juxta ea, quæ diximus supra §. 32. de filia Jairi, & ut ipse suppeditat textus præsens (v. 13.) non de νοιμήσθαι τὸ ἐπιπύεσθαι, sed τὸ θανάτῳ. Monemus hîc & illud, contra Anonymi citatam superius somni explanationem facere v. 14. cap. præsentis: τὸ ἐπιπύεσθαι αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς παρρησίᾳ λέγει αὐτῷ ἵνα ζήσῃ. Unde satis patet priorem de somno phrasin intelligendam improprie & κατὰ παρεπίπλευσαν. Conf. Joh. XVIII, 29. ubi hæc inter παρρησίαν & παρεπίπλευσαν distinctio fundamentum habet. Illud magis expositi ne videtur indigere, quod Christus dicit v. 4. αὐτῆν αἰδέσθαι οὐκ ἐστὶ πρὸς θάνατον: *Morbis hic non est ad mortem, quæ verba si crude accipiantur, illi, qui secutus est, e-*

ven-

ventui omninò contraria sunt. Morbum enim istum mors consecuta est vera & talis quæ cadaver exanime sepultura indigum & post quatrimum etiam fœtidum reddidit, quemadmodum canit Prudentius in Enchir. quando apparuit

— *Scissum fractis foribus monumentum
Unde putrescentis redierunt membra sepulti.*

Scilicet fuit omninò morbus ille ad mortem terminativè, (licet non ultimè) sed non item ad mansionem in morte ordinariam & consuetam, ita ut Lazarus quieverit deinde in sepulchro usque ad diem extremum. Potior autem hujus morbi finis fuit gloria Dei, in quam ultimò terminabatur, cum virtute miraculosâ, extraordinariâ & planè divinâ Lazarus à morte reductus, atque ita multorum in Christum fides confirmata partim, partim noviter accensa fuit, (v. 45.) adeò quidem, ut hostes ipsi, alioqui pertinacissimi, in conscientia convicti, miraculorum divinitatem agnoscere cogerentur (v. 47.) & præter blasphemias atque minas quod nascenti Evangelio opponerent, nihil habuerint. Ita Lazari morbus non tam ad mortem, quàm ad DEI gloriam tendit.

§. 37. Tam illustre autem hoc Lazari resuscitati miraculum visum est veteribus, ut ejus historiam in locis Sacris frequentissimè, ad excitandam resurrectionis venturæ memoriam depingi curaverint, & notatu dignum est quod referunt *Autores Roma subter. Lib. VI. cap. XI.* factum plerumq; Lazari simulacrum, pueruli forma, cujus rei causam ipsi reddunt his verbis: *Jure optimo post adeptum resurrectionis beneficium, pueri effigiem exhibens, pictorum manu describitur, cujus plane nomen recentis vite privilegio auctus, apud orthodoxos Patres sortitus est.* Cæterum

rùm

rùm quæ post resurrectionem Lazari à morte facta fuerint, non satis constat. Vixisse eum post XXX. annos tradit Epiphanius hæres. LXVII. Pontificiorum nonnulli tradunt in Galliam eum venisse atque ibi etiam obiisse. Verum quid hæc traditio solidi crepet ostendit citatus à nobis etiam supra Theologus Parisiensis celeberrimus *Joh. Launoyus in Variis suis de commentitio Lazari & Maximini, Magdalena & Marthe in Provinciam appulsu, opusculis*, ubi ab initio statim probat à tempore Christi, ad A. usque M. à Græcis universim & Latinis traditum esse, Lazarum, Magdalenam & Martham in Oriente obiisse. Sufficiant hæc de iis, quos Christum resuscitasse tradunt Evangelistæ, parciores sane multo hâc in re, recentioribus martyrologiorum scriptoribus, qui resuscitados ex mortuis Sanctis suis magno numero & cumulo liberalissimè tribuunt.

§. 38. Superfunt duo adhuc resuscitatorum ab Apostolis exempla, quorum prius describitur Actor. IX, 40. nempe Tabitha mulier insigniter pia *πλήρης ἀγαθῶν ἔργων καὶ ἐλεημοσύνων ἃν ἐποίει*. Hæc cum esset defuncta, pro more veterum, lauta, & deinceps in superiori cœnaculo tantisper reposita fuit, donec fidelium, & præcipuè viduarum, in quas benignitatem suam vivens exercuerat Tabitha, monitis accersitus Petrus, precibus ad Christum fufis eam in vitam revocavit.

§. 39. Ultimo loco occurrit Eutyclus Actor. XX. 9. qui, cum Paulum in multam usq; noctem concionantem audisset, somnôq; obrutus ex summis ædibus delapsus, sublatus esset mortuus, à Paulo in vitam revocatus fuit. Oritur hîc quæstio, cum cit. v. 9. expressè dicatur de Eutycho, *ἦρθη νεκρὸς*, Paulus autem v. seq. dicat *ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐστὶν*

in *actibus* *divinis*, quomodo hæc invicem convenient? *Grotius* in locum præsentem verba Pauli ita exponit: *Jam, dum loquor, vita ei redit: Nec multò aliter Gerhardus L. de Morte §. 68. Paulus, ait, de Eutycho dicit, anima ejus est in ipso, non quod Eutycho revera non fuerit mortuus, sed quia anima ad preces Pauli in pristinum domicilium mox erat reversura. B. D. Dannhaverus verò in Hodosoph. propriè verba Pauli intelligit, & solutam in eo corporis & animæ unionem, adeoque Eutycho revera fuisse mortuum, animam tamen in corpore adhuc fuisse, non informando sed assistendo statuit. Utram amplectamur sententiam, res ipsa salva erit: utraq; enim verè mortuum & miraculosè resuscitatum concedit Eutycho.*

§. 40. Atq; hi quidem sunt bis-mortui, quos tales esse certò & infallibiliter novimus, Sacrarum literarum persuasi autoritate: præter hos an qui sint alii, à Christo, Apostolis & Apostolicis viris resuscitati, ut non negabimus, ita tantum nobis non sumemus, ut de re adeò incerta & dubia certi quid definiamus. Si qui tamen sunt, idem de illis, quod de nostris, statuendum fuerit.

§. 41. Quærentur jam de bis-mortuis hisce communiter aliqua curiosè magis quam necessariò aut etiam utiliter? Disputant Canonistæ, an talis sit in integrum restituendus? Sed hoc cum nostri non sit fori, nos *JCtis* relinquemus. Quærent alii alia. Nos id unum considerabimus, quod à multis quæri solet, quinam harum animarum separationis tempore status, qui fuerit locus? Est sane & hæc ipsa quæstio in se supervacanea, possetque sufficere pie eruditæ, scire quod sint animæ ejusmodi in manu Dei, cui morientes pii spiritum suum commendant. Certe eam inter curiosas & tales, quæ doctè ignorantur, refert

E

Lori-

Lorinus in Act. XX, 10. D. Sebast. Niemann in diss. de distin-
ctis Pontif. in inferno classibus, c. III. §. 2. Hackspanius nott.
ad II. Reg. XIII, 21. B. D. Dannhavverus in Postill. Germ. a-
liiq; Sed cum non quieverit multorum procax industria,
 & scrupulum inde sæpe moverit piis mentibus, accedatq;
 adversariorum ad hæc exempla provocatio, cum nos ex
 SS. literis duo tantum post hanc vitam ψυχοδοχία dari
 probamus; nos ut his satisfaciamus pro viribus, id osten-
 dere conabimur: Si maximè locum, in quo fuerint ani-
 mæ, determinare atque invictis argumentis probare non
 valeamus, inde tamen tertium aliquod ψυχοδοχίον, nullo
 modo posse exsculpi.

§. 42. Difficile autem videtur certi aliquid investi-
 gare, cum ipsi, qui resuscitati sunt, nihil de statu interme-
 dio retulerint, quantum quidem in Scripturis reperimus,
 aut etiam referre forte nihil potuerint. Statuit ita *M. Ant.*
de Dom. Lib V. de Republ. Eccles. cap. VIII. §. 94. Quid, inquit,
narrare potuerunt, nisi fortasse per modum somnii, cum in
corpore rursus utendum fuerit phantasmatis; quæ verò ex-
tra corpus intellexerunt, in phantasmatis non servantur.
 Non longè abit inde sententia Lutheri Comm. ad Gen.
 XLII. fol. 114. *Resuscitati à Christo nihil potuerunt testari,*
quam se dormivisse & decubuisse in lecto, & servatos esse in
sinu Abraha, ut nunc in sinu Christi servantur. Eodem reci-
 dunt, quæ habet *Museus, Disp. I. de Anim separ. habitâ VVit-*
teb. An. 1661. §. 47. quamvis ille etiamnum dubitari posse
 asserat, annon aliquid de statu alterius vitæ retulerint re-
 suscitati illi, eò quod ab authoritate negativa hæc in parte
 non valeat consequentia. Quicquid hujus sit, nobis non
 videtur probabile, eos aliquid retulisse, non ob adductam
 à *M. Ant. de Dom.* rationem de diverso intelligendi mo-
 do,

do, sed ob Pauli auctoritatem, qui id, quod in tertio Cœlo
audiverat, vocat ἀρρητὰ ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι
2. ad Cor. XII, 4.

§. 43. Hinc merito inter nugas atq; aniles Mona-
chorum fabulas reputamus putidissima Pontificiorum
commenta, quæ de aliquibus referūt post mortem rever-
sis, & mirabilia multa de statu alterius vitæ renuncianti-
bus. Est exemplum ejus generis ap. *Bapt. Fulgosum lib. I. fa-
ctorum dictorumq; memorab. c. VI.* de Curina quodam, per
errorem spirituum, judicii ministrorum ad tribunal ra-
ptato, cum illi alium, ejusdem nominis fabrum ferrari-
um accersere debuissent. Hinc Curinam istum, ait Fulgo-
sus, postea revixisse, narraſſeque quæ interea viderit; fa-
brum autem illum ferrarium defunctum esse. Paria ex
Gregorii Dialogis (quorum fidem & auctoritatem osten-
derunt *Robertus Cocus in Censura sua p. 413. & seqq. & Rive-
tus Lib. IV. Crit. S. c. XXIX.* vapulantes ideo *Labbeo Notæ ad
Bellarm. de script. Eccles.* licet dissimulet, quid hac de re
sentiant *Possevinus in appar. & Sixtus Senensis Bibl. S. lib. IV.
p. m. 294.*) mutato vero Curinæ nomine in Stephani refert
Bellarminus apud *Dorscheum, Theol. Zachar. Tom. I. c. VII.
Sect. III. §. 102.* & ridicule addit: *Hac non fieri à spiritibus istis
vero errore, sed ut per istum quasi errorem qui mortuus fue-
rat revivisceret & narraret viventibus tormenta. & c.* Hæc
ille. At hunc tormenta inferorum hominibus narrandi
modum Deo displicere aperte testatur historia Epulonis
(Luc. 16.) qui mortui in hunc finem resuscitationem pe-
tens repulsam tulit, & ad verbum Dei in scriptis Prophe-
tarum & Mosis remissus est, unde haurire tantum, quan-
tum satis est, possint vivi. Regerit hinc *Bisselius Jesuita Ex-
empl. Trag. VII. pag. 199.* non obtinuit istud Epulo dives, nec

missus est Lazarus à mortuis ad vivos; non, quod missiones tales aut fieri non possent, aut non verè quandoq; realiterq; fierent; sed quod illis antiquæ legis temporibus aliter plerumq; divino consilio voluntatiq; visum esset. Verum quis hîc non videt desperatæ causæ frustraneum effugium? Si enim in N. T. hoc fieri potuit imò factum sæpius est, cur non itidem in Veteri? DEO, inquit, aliter visum. At unde hæc DEI voluntas probabitur in N. T. mutata? Nos certè tamdiu eādē credemus perstitisse, donec aliud nobis argumentis idoneis, & ex SS. literis desumptis ostensum fuerit. Sed hæc obiter.

§. 44. Revertimur ad rem ipsam, & quinam animarum talium separatarum status locusq; fuerit, inquirimus. Et sane si sententias omnes de animarum post mortem loco & receptaculo spectamus tot se sententiarum offerunt divortia, ut numerum etiam eorum inire sit admodum difficile. Occurrunt (I.) illi qui cum Epicurorum grege unà cum corpore etiam animam interire statuunt. Neq; verò opinio, quantumvis adeò profana apud Gentiles solum (ut Aristoxenem Musicum cujus meminit Cicero I. Tusculan.) invaluit, sed & in ipsa Ecclesia Dei & Vet. & N. T. fautores reperit Ita Sadducæi à Christo propterea refutati Matth. XXII. Ita Thnetopsychitæ hæretici, orti Sec. post natum Christum VII. & ante hos Arabiani Sec. III. qui docuerunt τὰς ψυχὰς σὺν τῷ σώματι καὶ ἀναβιώσκειν σὺν αὐτοῖς: Animas interire cum corporibus, & cum iisdem rursus vivificari. Videri de iis possunt Eusebius lib. VI. cap. XXXI. Augustinus de hæresibus ad Quod vult Deum hæres. LXXXIII. Damascenus lib. de hæres. Disputavit adversus eos Origenes eosque ad Palinodiam adegit teste Euseb. l. d. c. XXXVI. & Nieeph. lib. V. c. XXI. Eandem quoque hæresin pro-

profitentur theses editæ Cracoviæ A. superioris Sec. LXVIII. Negamus (dicitur ibi) aliquam animam post mortem manere, sed illud dicimus excogitatum ab Anti-Christo, ad stabilendam suam culinam perfectum purgatoriū & invocationem Sanctorum. Pudet equidem alioqui Photinianos apertè profiteri hanc sententiam (præsertim de animabus piorum salvandis) tantopere Christianis omnibus abominabilem suo merito, sed cum illi omni animæ post separationem à corpore motum omnem & sensum, intellectum, memoriam, aliasque animæ facultates negent, & præterea etiam dicta Scripturæ ejusmodi nobis objiciant, quæ corporis pariter & animæ interitum præ se ferre videntur, (quale est imprimis illud Matth. X, 6.) eos etiam dici posse animæ immortalitatem negare censet B. Hülsemannus in *Exposit. Ms. art. de statu Anim. Separ. & Redunit.* Horum autem *Φλυαρίας* refutavit B. Gerhardus L. de Morte §. 149. & seqq. Nos hîc id unum ex Hülsemanno, loco modo laudato, addimus: In loco supra adducto Matth. X, 6. τὸ ἀπολῦσθαι, non referendum esse ad τὸ εἶναι animæ, sed ad τὸ εἶναι, quo pacto etiam Diaboli dicuntur perdi, quod certè non de eorum essentiali annihilatione, sed cruciatu saltem intelligendum esse cuiusvis facile patet. Vid. 2. Petr. II, 1. 2. 3. 7. Apoc. XVII, 18. 19. Ep. Jud. v. 5. Jac. IV, 12. Matth. 25, 41.

§. 45. Hæc de iis qui immortalitatem animæ negarunt atque adeò statuere hic cogentur, nostros l. revera nō esse mortuos l. & animam & corpus una resuscitata fuisse. Notandum autem imputatam quibusdam hanc de mortalitate animæ sententiam præter verum quod l. cit. notavit B. Hülsemann. Ita Origeni hæc sententia, sed falsò, tribuitur idèd, quia spiritibus corpora etiam finxit, quod ostendit *Eusebius Hist. Lib. VI. c. XXXVI.* Pari modo

Luciferianis affectum est, credidisse eos animam mortalem, quod dicerent eam ex transfusione generari. referente *Augustino de hares. c. LXXXI.*

§. 46. Credimus nos, SS. literarum secuti auctoritatem, animam post corpus superstitem degere, quod quidem, ipsum nobiscum plurimi & confessi sunt, & confitentur etiamnum, non magis tamen inter se cōcordes quam vel Philosophi vel horologia (ut ait Seneca,) ita quidam statuebant apud Veteres, animas post mortem circa corpus aliquandiu desidere, & hospitium vetus, licet non inhabitare amplius, certe ægrè relinquere, atq; ita deinceps per morarum spatia in loca alia atque alia devehī atq; deportari, donec fixam & duraturam perpetuò sedem sortiantur. Et videntur ab hoc gentilium delirio (quod mortuos conclamandi apud eos ritum peperit) aliquid mutua- ti otiosi quidam & male feriatī Monachi, qui animas defunctorum, circa corporum suorum sepulcra vagabundas atq; errantes populo simplici persuadere conati sunt. Et, quod mireris, sunt in hac sententia Jesuitæ *Conimbrienses*, qui *Disp. VI. de An. sep. Art. XI. statuunt: animas hominum post mortem ad tempus etiam in corporibus remanere, et si non informant, idq; non solum extraordinariā Dei potentiā in uno atq; altero exemplo fieri posse, sed semper & in omnium hominum morte naturaliter accidere.* quibus consentit *Gregor. de Valent. Exam. Myst. Calvin. lib. II. cap. VIII.* Verūm non fuisse tam propinquam corpori suo defunctorum nostrorum animam (si tamen secundum nonnullos Eutychum excipias) non solum ex V. T. sed & N. T. historiis patet, ubi subinde dicitur anima reverti. (רשׁוּ & ἐπιστρέφει) & bene notat ad Luc. VIII, v. 55. Grotius: *Providè hoc (ἐπιστρέφει) adjecit Lucas, ut obiter doceret, animum humanum*

non esse *νεῦρον* corporis, nec aliquid, quod cum corpore intere-
at, sed *ἀπὸ τοῦ σώματος*, quod post exitum vite mortalis alibi
est, quàm ubi corpus. Id enim docet vox *ἐπέσσειεν*.

§. 47. Consultò hîc prætermittimus de animarum
loco post mortem Gentilium vanissima somnia, quæ ex i-
pſis etiam ſaniores nonnulli riſere. Quæ enim de campis
Elyſiis, de inferni regiâ, cymba Charontis, Cerbero, Lethe
& Styge, apud Poëtas & in pr. Senecam in Tragœd. legun-
tur, ea recitâſſe eſt refutâſſe. Nec vacat Platoniorum de
communi *ψυχοδοχείῳ* ſententiam excutere, in quod ille a-
nimas poſt mortem reduxit poſtliminiò. Adſtipulati illi
ſunt Judæi dum ſimile aliquod Goph *גופ* finxerunt ap. *Po-
kockium* notis in *Portam Moſis, R. Maim.* & præter eos Bra-
gmanes, quod videre eſt ap. *Palladium & Ambroſium de
Bragmanibus, quos edidit Biſſeus pag. 22. 24. & 70.* denique
etiam noviffimè ſententiam hanc Platonis recoxit & in-
terpolavit *Sandius in tract. de Orig. Anima hum.* Nec proli-
xè immorabimur Pythagoræorum tantopere decantatæ
μετεψυχώσεσ, quam tamen Philoſopho illi injuriâ affingi
probare fatagit *Mornæus de verit. Relig. Chriſtiana, c. XIV.*
Videri poteſt de Platonis ſententia *Urſinus in tract. Germ.
vom Zuſtand der glaubigen Seelen / Lib. III. c. V. & ſeqq.*
ubi oſtendit quantum Platoni ſit propinquus *Origenes.*
De Pythagoræorum verò opinione *idem l. c. c. IV. & πολυ-
μαθῆστος Spiſzelius, Fautor & Præceptor noſter omni obſer-
vantia cultu venerandus, in tract. ſuo de Re Liter. Sinenſi-
um Sect. XIII.* ubi vaniffimæ hujus opinionis apud varias
gentes originem & incrementa prolixè atque eruditè
deducit.

§. 48. Non majoris momenti ſunt Turcorum hæc
de re placita, ridicula ſane & vel pueris incredibilia, quæ
pro-

prolixè refert citatus modo *Pokockius l.c. cap. VII.* Judæos quod attinet, sunt illi admodum inter se discordes, quod videre est in *Buxtorffii Synag. Jud. c. XLIX.* Apud *Galatinum verò de Arcanis Cathol. Verit.* (& quem ille fidelissimè secutus est *Jos. de Voisen. in pug. fidei part. III. Dist. II. cap. IIX.*) communis Judæis quàm plurimis sententia dicitur fuisse, mortuos omnes descendisse, & etiamnum descendere in infernum, quem illi variè distinguunt, ibique aliquandiu moratos demum judicari an digni sint vita futuri seculi, an vero præcipitandi in תחתון אוֹרֵיָהוּ seu *infernum inferiorem* & damnatorum receptaculum.

§. 49. Fuerunt inter Christianos omni penè ævo, qui simile aliquid statuerunt, si non per omnia, saltem quoad plura sententiæ ejus capita. Referemus nos huc illos omnes, qui animas quascunq; ante diem extremum non videre Deum, sed asservari in custodia quasi aut certe loco, qui distinctus sit à cœlo beatorum, ibiq; quiescere otiosè & resurrectionem corporum suorum, atq; cum iisdem reduntionem expectare asserunt. Etsi enim horum quidam, quos mox nominabimus, ψυχοδοχεῖον illud Paradisum, alii sinum Abrahamæ, alii (*cit. Comar. loco sæpe cit. pag. 180.*) locum refrigerii, alii aliter appellent, omnes tamen eò tendunt, ut locum istum non gaudii æterni capacem, sed talem asserant, qui custodiæ potius, quam cœnaculi nuptialis similis sit. Videri possunt quos allegavit ibi *Comarinus & Montacutius Orig. Eccles. Tom. I. part. II. p. 417. & seqq.* Quàm autem maturè hæc opinio invaluerit & quos habuerit assertores per Secula invicem succedentia patet ex *Sixto Senensi Lib. VI. Bibl. S. Annot. CCCXLV. p. m. 714.* ubi eos allegat, qui sententiæ huic fuere addicti. Adducit autem hos secundum temporum seriem locatos:

108: *Jacobum Apostolum in Liturg. div. Sacrificii, Irenaeum, Justinum Martyrem, Tertullianum, Clementem Rom. Origenem, Lactantium, Victorinum Martyr. Pitabionensem, Prudentium, Ambrosium, Chrysostomum, Aut. Oper. Imperf. in Matth. Augustinum, Theodoretum, Aretam Caesarea Episcopum, Oecumenium, Theophylactum, Euthymium Zigabenum, & deniq; Johannem XII. Pont. Rom. Audacius loquuntur Remonstrantes, qui huic sententiae omnes ante Annum Christi CD. Patres assensum praebuisse scribunt Apol. c. XIX. Addi potest supra citatis à Sixto Senensi autoribus etiam Hieronymus in cap. IX. Zacharia, & Epist. III. ad Heliodor. de morte Nepotiani cit. Montacut. Orig. Eccles. p. II. p. 418. Videri etiam possunt Antiquitt. Eccles. Exc. Dn. D. Praesidis passim & imprimis Sec. II. Art. V. §. 10. Sec. III. Art. I. §. 38. Art. V. §. 13. & Art. VII. §. 71. Ursinus vom Zustand der gläubigen Seelen 2c. lib. 2. p. 92. 93.*

§. 50. *Damnata est haec sententia in Anabaptistis, & dudum in Fratricellis, quorum autor Hermannus quidam Italus, jussu Bonifacii VIII. Ferrariae exhumatus fuit & crematus, teste Osiandro Cent. XIII. Lib. IV. cap. IX. Sentiant quoque non absimiles Photinianorum nonnulli; & non longe inde abeunt Graeci, qui, etsi purgatorium negent, pro defunctis tamen intercedunt, ut tolerabiliorum nanciscantur locum, teste Kromajero Hist. Eccl. Cent. V. pag. 177. quamvis Leo Allatius peculiari tractatu edito hanc assertionem ad Purgatorium trahat, refutatus propterea ab Excell. Dn. D. Veielio in Defens. Exerc. Hist. Theolog. de Ecclesia Graecan. hodierna Art. V. de Purgat. pag. 161. & seq. Novissimè deniq; prodiit Anonymus Scriptor. Seria Disquisitionis de statu, loco & vita Animarum separatarum, qui ex his omnibus, quod visum est sibi idoneum, decer-*

F

psit

psit & sententiam de ψυχοναυξία variè incrustavit & perpolivit. Sed cum huic homini sufficientissimè responsum sit ab *Excell. Dn. Præside in tract. sapiùs allegato*, nos hïc post Homerum Iliada non scribemus.

§ 51. Quod ad Patres attinet, quorum supra ex Sixto Senensi & aliis mentionem fecimus, quiq; pro hac sententia forte etiam ab aliis adducuntur, notamus paucis: (singula enim eorum loca adducere atque examinare nimis prolixum foret) quædam eorum, quæ citantur, scripta, ut primū illud Jacobi Apostoli, esse supposititia; quædam verò loca ambigua & talia, ut commodè adhuc & orthodoxè exponi possint, quædam etiam talia, ut conjectando qs. non statuendo aut definiendo rem proponant, adeoque sententiam contrariam & veram non excludant. Orthodoxam verò sententiam præter modo laudatum Dn. Præsidem egregiè quoque defendit *Musa-us in citata aliquoties Disput. de statu Anima Separ.*

§. 52. Mentionem iniecimus etiam supra Johannis XXII. Pont. Rom. cui hanc sententiam tribuunt Guilelmus Occam. & Hadrianus VI. Papa (*teste Sixto Senensi l.c.*) & *Funccius in Chronol. sua ad A.C. 1332*. Verùm hoc à Pontifice suo amoliri conantur idem Sixtus Senensis paulò post loc. cit. & *Sanderus de Visibili Monarchia Ecclesie Lib. VII. p. m. 394*. Et ille quidem hoc apud probatos Scriptores non esse undequa; certum ait; Occamum infensum huic Pontifici & Ludovici Imperatoris partibus additum testem esse suspectum, & ob id in Conc. Trid. quantum ad hoc reprobatum. Verum Resp. Si damnatus est quantum ad hoc Occamus, damnandus etiam cum eo fuerit Adrianus VI. Pontif. quem ipse Sixtus Occamo facit ὁμόψηφον. Conciliet sane inter se Sixtus Sen. Cadmæos
fra-

fratres, Adrianum & quem pro contraria parte adducit, Bened. XI. utrumq; Pontificem & scil. infallibilem. Alter utrum sane necesse erit hic dormitasse. Sanderus ita eum excusat, ut dicat paratum fuisse audire partem alteram, item revocasse etiam, quæ dixerit contra fidem, verum quomodo horum utrumque conciliari possit cum Papæ infallibili in controversiis fidei autoritate, ipse viderit Sanderus. Addit porrò habuisse eum hanc sententiam communem cum multis Patribus, qui propterea hæreseos non accusentur. Sed respondemus nos, nostrum facientes illud *Cypriani ad Iubajanum*, quod citat *Excell. Dn. Præses Antiquit. Eccl. Sec. II. art. V. §. 10. Quæ in illis fuerunt stipula, mysterio nondum satis dilucidato, ea in aliis posse fieri hæresin, post revelationem veritatis factam.* Abunde enim contradixerunt Johanni *ὄυχεγοι* sui, & in his Bened. XI. ipsius successor, cujus decretum verbotenus ex Alfonso de Castro recitat Sanderus. Denique ipsa Sanderi inconstans & titubans de hac re oratio bonitatem causæ, quam defendit, satis clarè ostendit.

§. 53. Hi itaq; quos enumeravimus, omnes, animas nostrorum locarent in inferno, vel alio, quem sibi fingunt loco, inter cælum beatorum & infernum medio. Sed cum locus ille, ut quidem ab iis describitur, merum sit rationis figmentum, hæc quoq; sententia ad decidendam quæstionem propositam nulli erit usui.

§. 54. Examinandi nobis nunc veniunt Pontificiorum Theologi, & ipsi inter se non satis concordēs, quânam in classe, quas in inferno diversas faciunt, collocandæ sint nostrorum animæ? Cum autem tres sint præter damnationis locum inferni apud Pontificios classes, Limbus nempe Infantum, Patrum, & Purgatorium, de primo

quidem, Limbo Infantum, res clara est, quod vel ipsorum confessione nostrorum animæ eò non fuerint delatæ. De Limbo Patrum forte assererent nonnulli, fuisse inibi eorum animas, qui ante Christum resuscitati fuere; sed cum locus ille idoneo Scripturæ testimonio non possit probari, eadem facilitate, quâ asseritur, rejicitur. Quin Limbum Patrum ex ipsius Alfonsi à Castro verbis egregiè evertit. *B. Dn. D. Dorscheus Theol. Zach. part. 1. cap. VI. §. 74.*

§. 55. Major Theologorum Pontificiorum pars eadem locat in Purgatorio, eo scil. loco, unde animæ frequentissimè emigrare soleant & ad cœlestem patriam transferri, proinde neq; incredibile esse, quasdam etiam in hanc vitam indidem revocatas esse. Non est nunc nostri instituti totam de Purgatorio doctrinam refellere, aut omnia, quæ pro ea adducuntur, argumenta ad examen revocare; præstitit id dudum *Meisnerus in tract. de fictitio Pontif. Purg.* Sufficiet hîc ostendisse, quàm nullo nitatur fundamento eorum argumentum, quod ex his ipsis resuscitatorum historiis pro Purgatorio eruere conantur. Præterquam enim quod de eodem ex ipsismet quidam dubitant, ut *Peltanus*, quidam etiam, ut *Bellarmin. de Purg. l. II. c. VIII.* iis animabus alium quendam locum eumq; optimum, qualis non est cruciabile illud purgatorium, assignant, nec per ipsorum hypotheses satis certò asseri potest, hosce omnes ingressos esse in purgatorium. Multi enim ex iis valde fuerunt Sancti, quod negari non potest v.g. de Tabitha & Lazaro, Christo tantopere dilecto. Jam autem secundum ipsorummet sententiam, qui sunt perfecti perfectione in viatorem cadente, à purgatorio immunes sunt. Taceo hîc quod Pontificii statuunt resuscitados fuisse aliquos, quorum animæ in inferno fuerunt.

Nota

Nota est fabula de Trajano ex inferis liberato à Gregorio M. item de Monacho, quem ob tres solum aureos, quos præter jus possiderat idem Gregorius in articulo etiam mortis ab excommunicatione absolvere non voluerit, cuius tamen sententiæ postea pœnituisse ajunt Gregorium, ita ut hominem post dies xxx. liberaverit ex inferno. Est & alia hujus farinae historia apud *Stengelium, Jesuitam in l. de Judic. Part. homini post mort. impendente c. VI.* ubi ait, damnari tales ad infernum à Deo sub tali conditione, donec hic vel ille Sanctus pro te oret &c. Adeò etiam ipsi Deo reservationes mentales inesse probare satagunt Jesuitæ.

§. 56. Superfunt duæ adhuc Theologorum sententiæ de Animarum istarum loco, quarum altera statuit, fuisse eas in cœlo Beatorum, altera easdem collocat in loco tertio, qui neq; cœlum fuerit neq; infernus, sed peculiaris & ab utroq; horum distinctus locus, nullarumque præterquam talium animarum capax. Non caret utraque sententia nec suis difficultatibus, neque rationibus ad speciem firmis. Prior sententia placet *Comarino in Diss. saepe citatâ;* posterior *Bellarmino & Stengelio, ll. cc. & ex nostris Meisnero de purgat. Gerhard. L. de Morte, aliis.*

§. 57. Impugnat horum sententiam *Comarinus*, eamque repudiat, eò quod, ut ipse ait, *nova sit & apud præscos Ecclesie Doctores inaudita;* deinde quod sit etiam *contraria Scripturæ & Antiquitati orthodoxæ,* deniq; etiam *favet Pontificiorum Purgatorio.* Sed fortasse difficultates hæ utcunque sunt superabiles. Novam enim planè hanc sententiam vix quispiam dixerit, qui Veterum ea de re scripta evolverit. Sane cum Augustinus, vel quisquis autor est librorum de mirabil. Script. animas illas in cœlo fuisse, certò statuere non velit, in inferno autem non fuisse, certò credat, necessum est & illi tertium ejusmodi locum

dispensationis, ut eum vocat Comarinus, non plane visum fuisse incredibilem. Deinde quod ille scribit Patrum ante Gregorium neminem, alium præter cælum & infernum animarum locum novisse, id vix probari poterit per ea, quæ adduximus superius ex Sixto Sen. & aliis Patrum antiquiorum locis.

§.58. Et sane ponamus Patres non injecisse ullam de loco ejusmodi tertio mentionem, quemadmodum & Scriptura ipsa mentionē de eo nullam habet, inde nō statim sequetur, hanc de loco tertio sententiam ipsis contrariam esse, cum & Patres & Scriptura S. de receptaculis animarum ordinariis, hi autem de extraordinario loquantur. Unde & illud patet, ineptè hinc Pontificios pro suo Purgatorio concludere, quod ipsi omnium animarum, nondum planè purgatarum, receptaculum faciunt ordinarium. Nec sequitur: Concedunt nostrates locum tertium extra cælum & infernum, ergo Purgatorium. Quid enim est à genere ad speciem concludere affirmativè & definitè, si hoc non est.

§.59. Vicissim tamen & Comarini sententia non paucis nec invalidis urgeri potest objectionibus. Probat is eam eo solo, quod adduximus, fundamento, nempe ex dualitate locorum; quæ in Scriptura & Antiquitate orthodoxa memorantur; sed quid ad hæc regerī possit, ex iis, quæ superiori thesi diximus non est obscurum. Objiciunt præter hæc alii (1.) incongruum esse & à divina justitia alienum, eos quos semel æternæ beatitudinis fecerit participes in hanc miseriarum vallem reducere. Sed Resp. potest: hoc non videri injustum, sed beneficii potius ingentis loco ducendum, quippe quod ap. illos homines ingens vitæ alterius desiderium excitaverit. Neque amissam ab illis
feli-

felicitatem sempiternam sine spe recuperandi, sed ad tempus saltem sepositam, eâque in re pro absolutissimo suo imperio Deum nihil in hasce animas statuisse æquo gravius. Regeritur (2.) comprehensorem non posse esse viatorem, nec dari ut ex inferno, ita ex cœlo reditum, innuente id etiam Abrahamo Luc. XVI, 26. Verùm & hic nodus solvitur distinctione sæpiùs allata inter id quod fit ordinariè & extra aut præter consuetum ordinem liberimâ DEI dispositione. Quod ad dictum allegatum Luc. XVI, attinet *χάσμα* illud *μέγα* non cœlum inter terramque, sed infernum inter & cœlum *σπείχθηαι*, indeque iter in cœlum & via versa impossibile dicitur; ut taceamus scopum finemque hujusmodi ex cœlo reditus esse diversissimum, & prætereâ Theologiam parabolicam non esse argumentivam, si tamen parabola solum est, quæ ibi de Lazaro & Epulone traditur.

§. 60. Restat præter ea, quæ adducta sunt, aliud & difficilius, sed intactum Comarino: cum enim certum sit animas horum defunctorum non fuisse à peccati labe immunes, (alioqui necessum esset, eas aut solo corporum contactu rursus pollutas, aut homines istos per reliquum vitæ, quod exegerunt, tempus impeccabiles atque adeò immortales fuisse) quomodo illæ cœlum beatorum, civitatem DEI sanctam ingredi, aut in eadem commorari potuerint, cum, teste Joh. in Apoc. XXI. 27. illuc non intraturum sit profanum aut impurum. Est hic nodus, cui solvendo non facile par fuerit quisquam. Interim faciet huc fortè, quod suppeditat B. Dn. D. *Dannhaverus*, Pauli exemplum, qui & ipse, raptus licet in tertium cœlum, peccato postea non caruit, quod ipse testatur, Rom. VII. Imò si possibile fuit Moysen, in corpore
ad.

adhuc mortali, peccaminolum & ipsum DEI præsentia frui intimâ & *σώμα πρὸς σώμα* cum eo colloqui, forte non impossibile etiam duxerit aliquis animas hasce Sanctas in conspectum Dei admissas fuisse saltim ad tempus.


§. 61. Fortasse autem duæ hæc sententiæ componi & sine arbitris cōciliari possunt hoc modo, ut distinguamus inter locum & statum animarum talium, concedamusque animas hasce in cœlo quidem fuisse, non tamen eodem, quo animæ ceteræ beatæ, statu. Ita in cœlo fuisse Paulum supra adducto loco (2. ad Cor. XII.) imò ipsum quoq; diabolum, diverso licet & fine & modo (Luc. X. 18) ex sacris constat. Sed nos eò non progrediemur, ut controversiam tantoperè vexatam certò definire atque dirimere audeamus. Liceat nobis hîc ἐπέχειν cum B. Dn. D. Dannhauvero *Hodosoph. phanom. XII. p. 1432.* Quod enim summus Magister nescire nos voluit, illud nescire velle erudita est ignorantia. Sufficiat nobis ostendisse nullum omninò in hac re, quamcunque denique sententiam sequamur, Pontificiorum vanissimis de purgatorio commentis præsidium esse; firmoque etiamnum stare talo, quod ait *Augustinus Serm. de tempore CCXXXII: Nemo se decipiat fratres: Duo enim loca sunt, & tertium non est ullus: (scilicet ordinariè) qui cum Christo regnare non meruerit, (hoc est obtinuerit) cum Diabolo absque dubitatione ulla peribit.* Atque hæc sunt, quæ de materia proposita differere in animo fuit, si quæ hîc *παρρησια* obrepserint, eorum ab æquo Lectore veniam facile, spero, materiæ impetrabit gravitas & difficultas.

SOLI DEO GLORIA.

Strassburg, Diss., 1672

X 26 77019

1077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

N. J. C.
THEOLOGICA

DE

MOR

IS,

AM,

RANTE GRATIA,

SI DE

T. THEOL. h. t. DECANO,

E REVERENDO

EXCELLENTISSIMO,

THASARE

ELIO,

amigeratissimo, Summi

& Collegii Wilhel-

o gravissimo &c.

eptore & Promotore suo

litu suspiciendo, devenerando &c.

ERUDITORUM EXAMINI

jicit

Anno 1672.

inckler / Noribergensis.

& R.

Q. C.

TORATI,

INIS WELPERI.

38.

16727

Gustav Ranter
2.11.1890

